



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quid magnus Cyrillus ad Nestorium scripserit, et de tertio Concilio  
Ephesino, ad quod Ioannes Antiochenus episcopus & Theodoritus tardius  
acceßerunt. Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



EVAGRII HISTORIAE

author & dux, non solum non prohibuit illum, neque re-  
ctam sanamque doctrinam tutatus est, verum etiã eius ver-  
ba reuera in primis roborare contendit, & in eisdem defen-  
dendis acius institit. Atque sua ipsius opinione hisce ad-  
iuncta atque adeo ascripta, venenõque animi sui in eccle-  
siam effuso & eiecto, multò maiorem blasphemiam docere  
conatus est: adeo vt ad sui ipsius capitis perniciem, hanc im-  
piam sententiam, nimirum, *Ego eum qui spatii mensuris,*  
*hoc est, bimestri & trimestri, & ita deinceps, adoleuerit, Deum*  
*certe non appellauero,* proferre non dubitaret; sicut tum à So-  
crate, tum à priore cõcilio Ephesi celebrato perspicuè nat-  
tatum est.

*Quid magnus Cyrillus ad Nestorium scripserit, et  
de tertio Concilio Ephesino, ad quod Ioannes An-  
tiochenus episcopus & Theodorus tardius ac-  
cesserunt. CAP. III.*

**H**AEC nefaria Nestorij dogmata cū Cyrillus, episco-  
pus Alexãdrię, vir sane ipsa fame celebritate insignis,  
sigillatim per literas refutasset, Nestoriusq; eius scriptis  
reluctatus est, & neque Cyrillo, neque Celestini antiquę  
Romę episcopi consilij obsecundauit, sed suum ipsius vi-  
rus nihil veritus euomuit in ecclesiã: postulauitque vt au-  
thoritate ac nutu Theodosij iunioris, qui tum Orientis ad-  
ministrauit imperium, primum conciliũ Ephesi cogeretur.  
Itaque literę imperatoris erant ad Cyrillum, & ad alios om-  
nes vbique sanctarum ecclesiarum præsides missę: quæ  
diem Pentecostes, quo die vitalis & sacer spiritus ad nos  
descendit, conuentui præstituerunt. Nestorius autem, pro-  
pterea, quòd Ephesus nõ longe abest à Constantinopoli,  
omnino anteuertit. Cyrillus verò, & qui cum eo erant, eò  
veniunt ante diem præstitutum. Ioannes, præsul Antiochię  
vnà cum suis ad diem dictum absuit, non quidem sua spon-  
te, sicut multis videtur, qui eius factum defendere volunt,  
sed quod suos episcopos, tã cito cogere non poterat: quip-  
pe nonnullæ è ciuitatibus, quibus præerant, ab Antiochia  
(sic enim olim appellabatur, at iam Theopolis dicitur, id  
est, ciuitas dei) homini expedito ac strenuo distant, iter du-  
odecim dierum, & quibusdã, amplius eo: & Ephesus abest  
Antiochia,



Antiochia, circiter triginta dierum iter. Ac cum Ioannes constanter affirmaret se non posse ad statutum diem, id est ad nonum dominicum (sic enim vocatur) adesse, sui omnes apud sedes proprias ac suas mansere.

*Quomodo Ioanne Antiocheno episcopo non præsente Nestorius gradu depositus sit.*

CAPVT IIII.

**V**BI igitur quindecim dies ultra diem præfinitam præterierunt, episcopi qui Ephesi cõuenerant, quasi iam episcopi versus orientem habitantes non essent venturi, aut si forte venirent, multum dilaberetur temporis antequam in unum cogeretur, Cyrillo locum Celestini episcopatum antiquæ Romæ, ut supra docui, gerentis obtinente, accersunt Nestorium, hortanturque ut criminibus ipsi obiectis respondeat. Ac cum superiore die polliceretur se venturum, si ita res postularet, & postea etiam ter vocatus, promissa neglexeret, qui cõuenerant, res in questionem vocare cõeperunt. Atque cum Memnon antistes Ephesi dies ultra diem statutum præterlapsos (præterierant autem numero decem & septem) percussisset, & diuini & admirabilis Cyrilli epistolam quas scripserat ad Nestorium, & quas hic ad illum denuo, essent perlectæ, & epistola illa plane diuina, Celestini, viri cum primis illustris, scripta itidem ad Nestorium, recitata, & Theodotus episcopus Ancyræ, & Acacius sedem obtinens ecclesiæ Melitinæ, verba blasphemiarum, quæ Nestorius Ephesi profuderat, in medium protulissent, & multæ præclaræ sententiæ à sanctis & spectatis patribus sanam & synceram fidem aperientibus in eo congressu commemoratæ, & nonnullæ etiam quæ à Nestorio inconsideratè & cum blasphemia prolatae fuissent, inter eas interiectæ, sanctum conciliū ista totidem verbis contra Nestorium pronunciauit. Ut omitteremus alia honoratissimi scilicet Nestorij scelera, quoniam à nobis accersitus, obtemperare noluit, neque sanctissimos religiosissimosque episcopos à nobis ad eum missos recipere, inducti necessitate, ad impia eius dogmata excutienda aggressi sumus: & cum partim ex ipsis epistolis & libris à nobis perlectis, partim ex verbis nuper in hac urbe primaria recitatis ab eo, & quasi testimonio confirmatis,